

V.

812758

44

M. MELCHIORIS
LABANI P. L.

S T R E N A R U M
M O N A V I A -
N A R U M
D E C E R M I N A,

è


P A R O D I A R U M E T M I S -
C E L L O R U M C A R M I -
n u m S i l v u l i s .



Edita Lignicii typis

N I C O L A I S A R T O R I I .

A . C . M D I C .



NOBILITATIS
DOCTRINAE ET VIRTU-
TIS INSIGNIBVS TOTA
Europà celeberrimo
VIRO,

Iacobo Monavio,
PATR. PRESL.

AVLAE BREG. ILLVSTRISS.
CONSILIARIO,
Salutem.



*Incerta, inquires, & perplexa nomina! o
procrastinantem debitorem! Mensis enim
hic, nisi fallor, septimus est, ex quo Tibi,
Monavi Nobiliss. amicitiae causâ ad nos vi-
senti, cum de Venustino illo Tuo inter alias
confabulationes mentio incideret, Parodica nonnulla ad Mel-
pomenæam Oden é Poëticorum meorum libellis promissa me-
mini; studio videlicet Tui magis, quem minuta etiam hæc ta-
lia delectant, quàm Poëseos meæ fiducia. Atque eni hodie
demum solvo fidem. Sed causa moræ quæ sit, facile, ut spero,
ex lectione ipsâ divinabis. Nolui scilicet tam nudè ea oculis
tuis objicere, ne primo quasi intuitu fastidium Tibi elegan-
tioribus in hoc genere exemplis adsucto, meorum pareret
simplicitas. Expectanda igitur occasio, levicula hæc alio-
rum carminum accessione locupletandi, ut si minús stili ve-
rustas, saltem argumenti varietas gratiam muneri nonnullam
conciliaret. Et sanè percommodum accidit; ut ab eo inter-*

vallo & res Tue domesticæ & præsens hæc Calendarum
initialium consuetudo materiam varietati opportunam suppe-
ditarent. Nec abstinere manum potui, quin curiosus poë-
matum meorum Sylvulas ingressus nunc heic, nunc alibi de-
cermina schidiâsque amputarem, adjectâ qualicumque ad no-
nam libri tertii Parodiâ, propter sublime illud divinissimi Sca-
ligeri iudicium, Tibi aliisque qui harum sunt Musarum, non
ignotum. Hæc igitur omnia in unum complicata fasciculum
tandem strenæ loco mitto, Vir Amplissime, venerationis scili-
cet erga Te meæ documenta, & sponsorias quasi grati animi
Tabellas, quas tam diu velim Gratiarum in sacello suspendas,
dum luculentius quiddam, Monavianoque nomine dignius
Musæ suppeditaverint. **IESVS IMMANVEL**
annum hunc novitium Tibi, familiæ Tue, omnibusque con-
siliis & conatibus faustum & salutarem efficiat. Vale &
salve Monavi nobilissime Phoenix, nostræ Silesiæ, & Came-
nule meæ tutelare Numen. Sprotaviæ ad Hebrum, Calendis
Ianuariis anni 1599.

M. Laubanus.

AD IACOBVM

MONAVIUM

v. Nobiliss.

Aulæ Legnic. & Bregen, Illustrissimæ
CONSILIARIUM.

VOLATICUS quis rumor avis famul
Dextra serenus nuncio amabili
Titillat has aures; MONAVAM
PRINCIPIS in Lygii supremo
Vocem Senatu audier omniū
Voto expetitā multiplici ordinum,
Tuoque onus pol Herculanum
Impositum esse, IACOB E, Marti?
Sic est profecto, quippe ratissimam
Apportat ultro fama sequens fidem,
Amiciorque plurimorum
Non sine prolubio audiendi
Idem insusurrat littera. Grator o,
Grator novellæ letus adorea;
Tibi hancquē rerum accessionem
Esse bono precor & saluti.
Amena quamvis hinc tibi grandibus
Negotiorum molibus otia
Musa resignari querentur:
Attamen est patria universa
Benè apprecandum nomine, & ordinis
Causâ entheati, Musica amantium
Nec non cathedrarum reperta,
usque tuo super hoc honore

A 3

Quæ

Quae nunc triumphant, omniaque optima
Sibi & docendorum juvenum gregi
Hinc pollicentur. Nempe solis
Scis genitos minimè caducos
Sibi esse homullos: vendicat optimam
DEUS Creator, PATRIA vendicat
Vita sequentem portionem;
Debita sed reliqua est AMICIS.
DEO atque AMICIS das sua largiter,
Dabisque deinceps: nunc PATRIAE quoque
Censu, MONAVI, destinatam
Distribues locuplete partem.
En iste paries, ille etiam angulus,
Secretiorum qui penetralium
Consulta secum ruminantur,
Ad tua verba fideliores
Aurem arrigunt! En adspice ut omnium
Sublimis ordo te reverens colat
Subselliorum, teque fantem
Consilii bonitas serenet?
Eheu canentem cur nimium breve
Me tempus arctat? cur mea plurimum
Hebet morà occupationum
Barbitos? ut mihi amor citatis
Longè evagari cursibus in tuas
Praeconiorum fertilium areas,
Docte o MONAVI! ut exsolutis
Per virides libitum est habenis
Volare campos, instar Olympici
Victrice agilium remigio pedum
Palmam reportantis Caballi!
Sed breve me fugientis arcet

Sufflamen

*Sufflamen horæ; tu quoque fervidum
Heic, o MONAVI, sistere poplitem
Iubes modestiore vultu:
Quem mea non tamen audiisset
Cleio obsecrantem percita Nominis
Fulgore tanti: causa potentior
Manum nisi injecisset. Ergo
Sic sileo. Interea minutam
Hanc gratulantis latior adspice
LABANI opellam, non renuens Pater
Vatum salutari, & relictis
Ancora confugiūmque Musis.*



AD

AD EIU SDEM
SYMBOLUM, ANAGRAM
MA ET NOMEN,

ἄκρῶσιχον

IACOBUS MONAVIUS.
ANIMOSUS CUBO VIA.

I am viden' immites A dfligunt aëra vent I
H inc illinc, totoq; fure N s fremit orbe procell A
O bicibus ruptis: heic IuppI ter intonat illei C
V indice tela manu M olitur, & igne trifulc O
A dsidue ingeminat: reb O at latus omne tumultu a B
I ndomito Europæ; Mar S dum impia classica corn V
P erstrepit, infernasq; V e fatigat Morta sagitta S
S pëmque anni ever S or Robigo adulterat omne M
E n ANIMOSUS ego CUBO nil mino in VIA, et alt O
F ulmina despicio vitæ h V ius pectore: me no N
A spera vis rigidi B orea, me nulla procell A
C orripit, ignivom O numquã me fulmina flat V
I nfestant, Mars ecce proc V l, Robigus, & atr I
E xsulat à me pompa rog I, Quid causæ? ais. Heus t V
T utor Iova mihi: IPSE F ACIT FACIET que deincep S.

Magdalena

MAGDALENÆ

MONASTII

recens - nata,

GENETHLION.


Auspiciasne, tenella MAGDALENA,
Quæ te vix genitam beatitates,
Quantus siderii usquequaque Patris
Circumstet favor annuente plausu?
Quum cecâ rudis embryo jaceres
Capsulâ; patria malè inquinavit
Tradux nequitia & sacri reatûs
Fomes massulam: ut inde nascereris
Turpatâ heu sanie intimas medullas
Contâgis genitiva. At ecce diæ
Infinitus amor benignitatis
Secrevit nihilo - minus sub ipsis
Naturæ tunicis adhuc latentem.
Quin immo (o bonitas stupenda!) summi
Architectonis efficace nutu,
Orbis antè globosa quàm coirent
Rudimenta, tuum ipse destinavit
Olympo caput imputantis olim
CHRISTI morte vicariâ expiandum,
SPIRITUS que sacri igne percoquendum,
Et cum segrege seculis beandum
Æternis PLACITI BONI catervâ.

Et nunc ecce latentis auspiciatam
Tendunt enthea ad exsequutionem
Orsa consilii: agmine in sacro

B

Nasceris

Nasceris patria atque avitæ egena
Haud umquam pietatis atque famæ.
Immò teste renasceris lavacro
Mystici laticis, cruorem herilem
Verè significante; quo universis
Tetra Adámigeni lues reatús
Per fidem eluitur, nefásque privum
Divinâ potitur remissione.
Quod restat tibi, MAGDALENA, cede
Subsequentibus examussim in annis.
Cresces relligiositatis heres,
Virtutisque & honoris æmulatrix
Paternæ: ut veluti optimus Virorum
Europæa Pater per oppida audit,
Matrúmque optima Mater æstimatur:
Sic, o PUPULA, tu puellularum
Sies optima, quas puerperarum
Zonæ PRESLAVIENSIVM integelle
Lucis aureolas tulere in auras.
Summa est: ingenio, eruditione
Et virtute merebere aut CAMILLA,
Aut PALLANTIA Slésidos vocari;
Quam non UTENHOVI únus celebrent
unúsque Aganippides MELISSI.
Quid beatius hac beatitate?
Quid faventius hoc favore detur?



I N A M I C I T I A S

M O N A V I A N A S.

Ex Horat. 1. 4. Od. 3.



Vem, MONAVE, tibi semel
Devinctum Aonio glutine junxeris:
Illum non mare Calpium

Dispernet penitus: non Dea lubrica
Casus reddet ob asperos

Infensum: neque mens curva calumniis
Pressum falsidicis virum,

Ceu monstrosa animum polluerit lue,
Evellet jecore ex tuo.

Sed quæ regna Tabellæ omnia pervolant,
Et grati officii vices

MONAVO efficiunt fœdere nobilem.
Constans Harmosynes sacræ.

Dignatur favor & gratia pertinax
Tam caro addere me gregi:


Et jam vincla magis sentio mutua.
O concordia Olympica

Vivam quæ faciem heic, Harmosyne, exprimis!
O Mauris quoque barbaris

Donatura parem, si juvet, indolem!
Totum muneris hoc tui est:

Quod turba annumeror mutuo amantium
MONAVI adsecla nominis:

Quod constanter amo, quod redamor, tuum est.



AD LUCINAM

Parturiente

ANNA MONAVIA

Ex eadem.



Vam Ilythia favens tuo
Pregnatem vegeto pollice juveris;
Illam non dolor insolens
Torquebit gravidam: non teneram Embryo
Mole urgebit atrocius
Matricem: neque mors aspera nixibus
Exhaustam immodicis nurum,
Quod partum geminâ finierit nece,
Avellet misero Viro.
Sed qui feta movent pondera Nixii,
Et vitæ Genius dator
Reddent ambrosiâ prole puerperam.
IOVAE Præsidis omnium
Decrevit bonitas te genitabili
ANNAM solvere vinculo:
Et nunc prolifera prospicis horula.
O propaginis ultime
Longam quæ seriem, Diva, redintegras?
O rugosæ anui quoque
Donatura uterum, si libeat, gravem!
Totum præsidii hoc tui est;
Quod sese amplificat stemma MONAVI-
Fetus augmine plurimi: (UM
Quod per sæcla cluet, namque cluet, tuum est:

AD


AD LOGICEN, ARTIUM

Reginam.

Ex eadem.




Vem tu Fax Logica semel
Lustratum nitidâ luce beaveris :
Illum non Ratio sagax
Frustrabit stupidum : nulla Sophistice
Picta fallat acumine
Suspensum : neque mens plumbea luridis
Obductum nebulis sacro
Pellet concilio, sive Novensilis
Turba, seu Sophia throno.
Sed quæ norma sacris stat rata Legibus,
usque arbitrium cati
Fingent ingenii lumine nobilem.
Phæbi Præsidis artium
Dignatur bonitas, hujus amabiles
DIVAE cernere me faces :
Et jam luce magis perfruor aureâ.
O caliginis insitas
Nostræ quæ tenebras, ARS cata, disjicis !
O bardis quoque rusticis
Donatura Sophum, si libeat, jubar !
Totum luminis hoc tui est :
Quod tangor studio te venerantium,
Phæbei socius chori.
Quod disco, & doceo, si doceo, tuum est.



I N M O P S O F A B U L L U M

Ex eâdem.

 Vem tu, Mopsocabulle iners,
Vatem barbarico dente non morderis,
Illum non rude proteget

Hermes anguigero: non favor aulicus
Iustâ tollet adorea

Scriptorem: neque frons daedala orantibus
Semper cincta hederis Virum,

Quod Phæbo & Charisin digna sonet mele,
Transscribet nemori Aonum.

Sed queis sæpè boni scommata vapulant,
Et stulti ingenii crises

Fingent multiplici sphalmate noxium.
Linguae crassior invida

Audet rusticitas me quoque & hanc meam
Adlatrare Camenulam.

Et jam salsa Midis fabula sum omnibus.

O tantum - modo Marsyæ

Pinguem qui stipulam Mopsocabulle amas!


O ipsi quoque Apollini

Impacture gravem, si liceat, dicam!

Totum nequitia hoc tua est,

Quod sanna objicior sæpè legentium,
Plautinae favitor mola.

Sed quod te ipse pili non facio, meum est.



I N

I N P S E V D E P I E N

Calumniatricem.

Ex eâdem.



Vem tu, PSEUDEPIE, semel
Correptum stygiâ cuspide punxeris:

Illum non sacra Pallados

Abdet parma Sophon; non probitas decens
Noxis solvet atrocibus

Insontem; neque mens integra grandibus
Spectatum meritis Virum,

Quod cuique utibilem praeberit manum,
Defendet Furiae à dolo.

Sed quae crebra bonis Invidia imminet,
Et Suspectio credula

Tradent innocuum supplicio caput.

Atrox gestit Erinnyos

Hujus me rabies mordicibus feris
Dentis perdere lividi.

Et jam voce nocens judicor omnium.

O fuci atque Calumniae

Omnes quae numeros, Pseudepie, obtines!

O ipsis quoque Apostolis

Obiectura sacrum, si liceat, nefas!

Totum perfidiae hoc tuae est:

Quod cador scuticis ante - amantium

Mentiti haud sceleris reus.

Sed quod victor ago, & victor agâ, DEI est.

CSU

I N

IN EBRIETATEM.



UEM spurca EBRIETAS semel
Potorem Ogygio thyrsò agitaveris :
Illum non VIGOR entheus
Intrabit docilem : non nivea indoles
Montes ducet in Aonas
Doctorem : neque res civica publicis
Ornatum officiis Virum,
Quòd cum laude datas dextrè obeat vices,
Nullis tollet honoribus.
Sed qui vina cadi pingua suggerunt,
Matutinàque crapula
Ad quævis facient munia torpidum.
Constans Nephelies sacra
Dignatur bonitas Clitorii haustibus
Turpem frangere me sitim;
Et jam calle procul segregor ebrio.
O vertiginis horride
Causas quæ validas, Bellua, sustines !
O ipsum volucris quoque
Enectura anima, nî fugere, halitum !
Totum proluvii hoc tui est;
Quòd jam tanta DEI gens Alemánidum
Sentit fulmina vindicis :
Quòd bello petimur, peste, fame, tuum est.


SSD

PECCA.

PECCATORIS ET CHRISTI
DIALOGVS.

Ex Horat. l. 3. Odâ 9.

- P. **D**onec junctus eram tibi,
Nec quisquã integrior pectora calitã
Verbo discipulus dabat :
Purã nemo fuit mente quietior.
- C H. Donec non alium magis
Audisti, neque erat vox mea post nefas :
Noſtri portio corporis
Dilectis fueras gratior Angelis.
- P. Me nunc caca caro regit
Ada passa luem, nequitiaque amans;
Præ quã non licuit tuo
Collum seruitio subdere amabili.
- C H. Me pungit face feruidã
ultrix Iusticia & conscia Veritas :
Præ queis non licitum, grave
Peccantem solitis prosequi amoribus.
- P. Quid si vita redit prior,
Erronẽmque tuis reddit ovilibus ?
Si spurca exuitur caro,
Rejectãmque sitit mens mea gratiam ?
- C H. Quamquã sulphure dignior
Orci es, mobiliorque aere, labili &
Inconstantior heu Petro :
Reddo, accepto fidem; sum tuus, es meus.



C

AD

AD PUERULUM IESUM

Pro communione ipsius salutiferâ

ad illud :

Ach mein Herliedes *IESU*
JEZU.

Ex Horat. l. I. Odâ 30.



PUER tutela soli polique,
Sperne *BETHLEMAE* stipulam; & vo-
Voce te crebra in famuli ima cordis (cantis
Scrinia transfer.

Spiritus tecum sacer, & benigno
Gratia incessu veniet, Fidesque
Filiâ numquam sine Caritate, &
Vita salusque.

AD EVM DEM

Votum Ianuarium.

Ex Horat. lib. I. Odâ. 31.



Vid liberalem poscit IESULUM
Vates? quid orat de veteri novum
Migrans in annum? non propinquam
Sarmatia Cererem feracis,
Non fastuosa grandia gloria
Magmenta, non sceptrum aut apicem arduum,
Non fata, quæ Luxus veterno
Inquinet atro, inhonesta labes.

Servent

Servent remotâ clave, quibus dedit
Pandora, Gazas; spurcus & efferis
Potator exsiccet culullis
Vina citi generosa Rheni,
Sibi hostis ipsi: quippe animam & jecur
Dies adurens peste nefariâ
Noctesque. Me pascant Camena,
Me otia honesta, catique libri.
Frui IEHOVAE noticiâ & mei,
PUELLE, dones; & precor, entheo
Cum corde, nec vitam agré habentem
Degere, nec modico carentem.

I N N A T A L E M L X.
P A V L I M E L I S S I Com. Palatini
Poëtarum Monarchæ.

D Vinctum hodie, ni fallor, adest geniale M E-
L I S S I;
Porge merum, & violas sparge rosasque
Vatibus hæc sacra est Aurora, novemque Deabus (Puer.
Tristis adhanc surgit nemo Poëta diem.
Cur tamen extremo lux hæc servata DECEMBRI est,
Qua fuerat M A I O sidere digna coli?
Candida mens SCHEDIO est: ergo candore nivali
Debit illius jure nitere dies.
Atra sed obtendit toti cur pallia celo
Iuppiter? aut Phæbi cur premit umbra jubar?
Indiget hæc Iove lux præsens Phæbove sereno:
Ecce Melissæ sat micat igne facis.

Anno 1598. 20. Decembris.

IN EFFIGIEM EIUSDEM

dono missam ab eodem.

Quis putet? En brevis hæc cepit membrana ME-
LISSVM,
Quem regio Europæ non nisi tota capit.

AD IACOBVM MONAVIUM

Vir. Clariss.

Super obitu Dni.

NATHANIS CHYTRAEI

Ex Horat. 1. 3. Od. 7.



Vid, MONAVE, adeo fles, tibi quem brevè
Clangor sideris restituet tuba,
Deiâ luce coruscum,
Cordis dimidium tui

NATHANEM? ille beati Indiges aetheris
Post humana novus tadia, candidos
Soles non sine multis
Felix deliciis agit.

Illeic Angelicæ pars quota Musices
Collaudare Deum, carminaque entheo
Adflatu variare
Gaudens mille parat sonis.

Nunc Evam ut Colubri fraus malè credulam
Romona impulerit fructibus, horridam
Humano generi omni
Importare necem, canit :

Nunc

Nunc ut, CHRISTE, datos Tartaro homunculos,
Narrat, morte obitâ à morte reduxeris :

Nunc divinæ alias ad
Scripturæ historias abit

Sollertè. Fremitu nempe decemplicis
Plaudunt templa poli. Quin tu igitur tibi,
Ne mentem dolor isthic
Plus justo populet, caves ?

Quamvis non alius te colere obvius
Æquè conspicitur Teutoniæ solos;
Nec quisquam cluet æquè
MONAVI uspiam amoribus.

Omnes Morta manet : nec redit è pigrà
Tellure ad superos quisquam : adamantino
Hunc mortalibus Æther
Præscripsit graphio ordinem.

VOTI POSTHI-MELISSÆ I

Subscriptio

AD SOPHROSYNEN.

Ex Horat. l. I. Odâ 35.



DIVA legem quæ statuis scyphis,
Præsens vel humanum in vegeto gradu
Servare robur : vel rogales
Vertere myrto hilari cupressos.

TE Rex honestat ture Heliconio

Vatum MELISSVS te Dominam meri

Quotcumque SANCTVM nuncuparunt
VOTUM hilares DOMINO, fatentur.

C 3

Te

Te *POSTHIUS*, nec non *STENIUS* sagax,
PORTUS, *GRUTERUS*, Musaque *FRENCELI*,
TAUBMANI & altilis *Columbae*
Supplicis venerantur almis.

Oblivioso ne perimi sinas

Mentem *Falerno*: neu sua *Bassareus*

Ad arma, detestanda ad arma

Me trahat, ingeniumque frangat.

Te Matrem honorat filia *Sanitas*,

Vires juventa vimque catam ingent

Præbens feracis, nec celebre

Nomen abest penorisque cella.

Te morum honestas atque precum colit

Ardor piarum: nec comitem abnegat

Quæ destinatum functionis

Impositæ Dea munus urget.

AT Morbi edaces, *Aphrosyna* & retrò

Vesana cedit; moribus aufugit

Pannosa cum pravis *Egestas*,

Torpor & illicitus *Vacuna*.

En me Clientem mancipo in ultimam

Tibi senectam; & sponte tuo gregi

Subscribo: quod *DEXTRAE ANNULARI*

IN DIGITO HOC AMETHYSTUS

usque admonebit. *Luxuriæ* heu pudet,

(ardens

Guleque! quid non pota patrauerit

Cohors? quid intactum piaci

Liquerit? anne manum efferatam

Metu pudoris contineat? quibus

Parcatur ausis? ò utinam entheâ

Virtute deportes gulosum in

Sauromatas, *Nomadâs* ve monstrum.

AD SOPHROSYNEN,
Poculis valedicens.

Ex Horatii l. 3. Odà 26.



*Ixi culullis nuper amicus,
Et dimicavi stultus amystide
Frequentiori : nunc & artem
Pestiferam, & stolidam armo pono.*

*Gressusque ad aram Sophrosynes fero
Mutatus : heic heic ponite turpia
Carchesia & Scyphos & obbas
Faucibus ebriolis minaces.*

*O que salubrem Diva colis modum, &
Vitam carentem multibibâ lue
Præsens capistro pertinaci
Stringe gulam Bromio efferatam.*



[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



A 2490

ULB Halle
003 485 986


3




sb

kom







812758

44

M. MELCHIORIS
LAVBANI P. L.
S T R E N A R U M
M O N A V I A -
N A R U M
D E C E R M I N A,

è
P A R O D I A R U M E T M I S.
C E L L O R U M C A R M I.
num Sylvulis.



Edita Lignicii typis
N I C O L A I S A R T O R I I.
A. C. M D I C.

